

seunt, stipatæ præsidii Angelorum. Hæcenus Ambrosius earum Animarum Ordines recensuit, quæ Beatitudinem tantummodo inchoatam assequuntur sunt. Nihil ergo verba hæc, nobis a Burneto objecta, Catholicorum sententiæ officiant; neque enim omnibus indiscriminatim Justorum Animabus nos statim a Morte obvenire Beatorum Gloriam credimus. Sed accipiat Lector, quæ in Ambrosii narratione subsequuntur. Scilicet Quintum Animarum Ordinem, in superiori Mansionæ situm, hæc ille verbis describit: *Quintus autem Ordo Exultationis Uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis Corporis carcere IN LUCEM, LIBERTATEMQUE PERVENERINT, & repromissam sibi POSSEDEANT HEREDITATEM.* Addit postea: *Erit igitur ORDO diversus CLARITATIS ET GLORIÆ, sicut erit Ordo Meritorum.* Processus quoque Ordinum processum exprimit Claritatis. Nihil autem aliud est Possidere Hereditatem, Pervenire in Lucem & Libertatem, & frui Claritate & Gloria, nisi Cœlesti æterna Beatitudine donari. Progreditur sanctus Antistes, & Sextum Animarum Ordinem ita delineat: *Sexto Ordine demonstrabitur iis, quod vultus earum, sicut Sol, incipiat resurgere, & Stellarum luminibus comparari, qui tamen fulgor earum corruptelam jam sentire non possit.* En uberiorem Beatitudinem & Gloriam. Septimus denique Ordo hæc verbis exprimitur: *Septimus vero Ordo is erit, ut exsultent cum fiducia, & sine ulla cunctatione confidant, & sine trepidatione latentur, festinantes Vultum ejus Videre, cui sedulæ servitutis obsequia detulerunt: de quo innoxie conscientie recordatione præsumant gloriosam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, Cognoverunt indignas esse hujus temporis passiones, quibus REMUNERATIONIS ÆTERNÆ GLORIA TANTA REFERTUR.* Tum hæc adtexit: *Hic Ordo, inquit (Esdras), Animarum, quæ sunt Justorum. Quas etiam Immortales non dubitavit dicere in Quinto Ordine; eo quod spiritum, inquit, incipiunt recipere, FRUENTES & IMMORTALES.* Felicius, quam ego, expiscari poterunt alii in editis Pseudo-Esdræ Libris, quæ huic & infra a S. Ambrosio veluti inde excerpta adferuntur.

Illud interea certum est, hæc ab illo dici de Animabus, postquam separatæ fuerint de Corporibus, atque ante Resurrectionem Corporum. Et quamvis obscura sint, ænigmati quoque similia videantur illius verba, neque hæc in sacris Literis fundata, sed potius ex spiritui Esdræ, aut ex Origenis phantasia prodierint: vix tamen ullus ambigendi locus restat, quin ille in tribus postremis Ordinibus Beatitudinem veram Animabus jam conlatam significet. Diserte quippe affirmat, saltem Animas in Ordine Septimo positas, *incipere recipere Gloriosam mercedem laboris exigui, idest, Vultum ejus Videre, cui sedulæ servitutis obsequia detulerunt.* Proinde sermonem continuans ait: *Ergo quia JUSTI HANC REMUNERATIONEM HABENT, UT VIDEANT FACIEM DEI, & Lumen illud, quod illuminat omnem hominem ab hinc induamus hujusmodi studium, ut appropinquet Anima nostra Deo, appro-*